

supplicibus precibus obtestantur per Iesum
Christum Dominum nostrum. Sed de illis faci-
noribus quibus minui spem meam suprà signifi-
cavi, quid loquar? meminisse enim cū piget tum
pudet, nedum est ad commemorandum paratus
animus. Nam ut silentio præterea actos in exi-
lium uiros opt. honestiss. innocentissimos, ere-
pta bona multis non modo nullo commerito sed
ne crimine quidem certo illorum, cuius non de-
bilitet confidentiam & animum frangat recor-
datio cædium & atrocissimorum suppliciorum
quibus in patria nostra integerrimi & sanctissi-
mi uiri affecti fuere, factione quorundam super-
borum & contemnentium uel saltem non admo-
dum uenerantium uerbum Dei. Fuit crematus,
quæ mors profectò & specie & cruciatu hor-
ribilis est, Canonicus quidam de familia eorum
qui latine regulares vocantur, uerè religiosus
uir. permansit Dei auxilio, in sententia &
confessione ueritatis, cum sua maxima immo-
Christi confirmantis eum, gloria, & aduersa-
riorum dedecore atq; infamia. Pari pœna affe-
ctus alter fuit neq; pietate & studio ueritatis ne
que integritate uitæ illo inferior. Quod nam
ob scelus? Ingens & nefandum sit necesse est,
propter quod igni ille adiudiaretur. O misé-
ros interfactores huius & ipsum beatum. Dixe-
rat iniuste & immeritò accipere pensiones de-
cimarum eos qui non solum operam non naua-
rent